

vina, & humana, non mirum, quod possit esse Dominus ratio- nis divina nature, & servus ratione humane. At vero filio- ti non convenit supposito ratione nature, sed immediate, & ratione sui, ut patet ex dictis, & communi modo loquendi, secundum quem natura non dicitur filia. In Christo autem una tantum fuit perso- na, & consequenter una filio- ti, eaque naturalis. Ad confirma- tionem R. eadem distinctione, quia sanctitas convenit supposito ratione nature, non sic filio- ti.

Inst. Filio- ti convenit etiam nature, sicut ut quo: ergo. Prob. Ant. Relatio geniti convenit nature ut quo; atque eadem est relatio geniti, & filii, ut patet in divinis: ergo. Prob. Maj. ex D. Thom. in 3. d. 8. q. 1. art. 5. ubi dicit, quod *Nativitas tempo- ralis, seu generatio passiva Christi est quedam relatio, que secundum rem fundatur in natura humana, & ex hoc nominatur natum, sicut & homo:* ergo. R. N. Ant. (In 3. d. 8. q. 1. art. 1. ad 5.) ad prob. D. Min. Eadem est relatio geniti, & filii in divinis, C. propter nempe summam identitatem substantialem: in creatis, N. Ad relationem enim geniti sufficit generatio passiva qualiscumque; ad relationem autem filii requiritur generatio pas- siva, perfecta, & completa. Filio- ti enim respicit ens completum in specie generantis, ideoque & suppositum: unde vermes v. gr. generati ex homine non sunt filii hominis. Et hæc est notatio filia- tionis, quam haurimus cum ista solutione ex D. Thom. loc. cit. in margine, ubi dicit: *ad filiationem requiritur plusquam ad nati- vitatem, vel ortum, scilicet ut quod exiit per generationem a generante, sit completum in specie generantis: & ideo fructus arborum, ova avium, & capilli, & alia hujusmodi non habent rationem filiationis, quamvis dicantur nasci.* Et ibid. art. 5. ad 1. dicit: *Subiectum filiationis non potest esse natura, cum sit ejus, quod habet complementum speciei, ut supra dictum est.*

Repones; Sicut natura non potest dici filia, ita nec serva; atque tamen hoc non obstante servitus convenit nature, & Christus ut homo est servus, ut diximus: ergo a pari. R. N. Maj. Et dico, quod natura possit dici serva, quia servitus, de qua hic est questio, nihil aliud est, quam dependentia creatu- re rationalis a Deo in esse, conservari, & operari. Unde, si- cut hæc dependentia immediate convenit nature, ita & ser- vitas; & sicut natura potest dici a Deo dependens, creata, con- servata, Deo subjecta, ita & servata; licet tamen, ut diximus ex D. Thom. supra, non ita proprie dicatur natura serva, quam homo servus, quia hæc denominatio magis proprie est suppositi, sed tamen ratione nature. Id totum innuit S. Doct. hic ad 3. *Dicendum, inquit, quod esse creaturam, & etiam servitum, vel subjectum ad Deum, non solum respicit personam, sed etiam naturam, quod non potest dici de filiatione; & ideo non est sim- ilis ratio.*

Ugebis; Concilium Francoford. non minus negat, Christum ut hominem esse servum Dei, quam filium adoptivum; atque tamen aliquo sensu est servus Dei, ut sustinimus supra: ergo. R. N. Maj. Loquens enim specialiter de filiatione, dicit, *Si filius, nequaquam adoptivus, id est, nullo sensu, nullo modo; hæc enim est vis hujus vocis, Nequaquam, quam non adhibuit lo- quens de servitute. Insuper admisit servitutem nature in Christo. Pro quo vide Dissert. præced. art. 1. Obj. 1.*

Obj. 2. Filio- ti adoptiva est effectus formalis gratiæ habi- tualis; atque in Christo est gratia habitualis: ergo. R. 1. Filia- tio adoptiva est effectus formalis primarius gratiæ habitualis, N. secundarius, Transcat. Etenim gratia est qualitas absoluta, fi- lio- ti autem est relatio. Unde non potest filio- ti esse effectus for- malis saltem primarius gratiæ; sed ejus effectus formalis pri- marius est reddere subjectum gratum, & participem diviniæ na- ture. Potest autem forma esse sine suo effectu formali secun- dario, maxime quando subjectum est illius incapax, ut contin- git in presenti; quia nempe ad adoptionem requiritur, quod persona adoptata sit extranea adoptanti; Verbum autem est in- traneum Patri, & Filius ejus naturalis. R. 2. D. Maj. Filio- ti adoptiva est effectus formalis gratiæ collatæ per modum nature, & collatæ per modum proprietatis, N. Sicut enim ut natura det formaliter esse filium naturalem, debet conferri ad modum nature, id est, ut per se primò terminans generationem (& ideo, li- cêt in Spiritu S. non minus quam in Verbo inveniat natura di- vina, tamen Spiritus S. non dicitur Filius); sic ut gratia habitua- lis det esse Filium adoptivum, debet dari per modum nature, non per modum proprietatis consequentis ad naturam, quo tamen modo datur in Christo, in quo gratia habitualis sequitur ut pro- prietas ad gratiam unionis.

Inst. Sufficit extranea natura, etsi suppositum sit secundum se intraneum, ut sit subjectum capax filiationis adoptivæ per gra- tiam: ergo. Prob. Ant. Natura extranea potest efficere, quod sup- positum, quod secundum se est intraneum suo principio, fiat ip- si extraneum, capax filiationis adoptivæ: ergo. Prob. Ant. Na- tura intranea potest efficere, quod suppositum, quod secundum se est extraneum principio, cui natura est intranea, fiat ipsi in- traneum, capax filiationis naturalis: ergo a pari natura extra-

nea &c. Ant. patet in filiatione naturali Christi respectu B. Vir- ginis. Humanitas enim, quia est intranea B. Virgini, unita Verbo facit Verbum intraneum B. Virgini, & Filium ejus licet tamen Verbum sit secundum se, & ante Incarnationem sup- positum extraneum respectu illius, & humanitatis. R. N. Ant. ad prob. N. Ant. ad prob. N. Conseq. & paritatem. Disparitas est, quod, ut suppositum, quod est extraneum, fiat intraneum, nihil debeat amittere de prædicatis positivis, sed tantum quam- dam privationem, seu carentiam intraneitatis, quæ auferitur per adventum formæ intraneæ substantialiter illi unitæ: at vero, ut suppositum, quod est intraneum, fieret extraneum, deberet amittere prædicata positiva, & naturalia, per quæ erat secun- dum se intraneum, scilicet naturam habitam primò per se per ge- nerationem, sicque non maneret idem, sed fieret aliud. Res exem- plo allato in instantia clarescit. Christus itaque est suppositum in- traneum Patri, Filiusque ejus naturalis per divinitatem secun- dum generationem æternam: & idem suppositum ante Incarna- tionem erat extraneum respectu B. Virginis. Facta autem Incar- natione, humanitas substantialiter illi unita facit illud per hæc intimam, & substantialem unionem intraneum, & quasi domes- ticum Matri, saltem ad terminandam generationem, adeoque ad filiationem naturalem, absque eò quod quidquam positivum amittat, sed *quod erat, permansit, & quod non erat, assumpsit,* ita ut manserit simul intraneum Patri, & Matri absque ulli in- compatibilitate. Si autem eadem humanitas, quæ est extranea Pa- tri, redderet etiam ipsam suppositum Patri extraneum, debe- ret ab illo auferre intraneitatem naturalem, quam habet respectu Patris, seu id per quod est illi naturaliter, & secundum se intraneum, scilicet divinitatem per generationem æternam; quia esse intraneum, & extraneum respectu ejusdem privativè oppo- nuntur.

Obj. 3. Si Christus non esset Filius Dei adoptivus, ideo ma- xime quia est Filius ejus naturalis; atque hæc ratio nulla est: ergo. Prob. Min. Filius naturalis in humanis potest adoptari a Patre proprio, ut constat ex Jure civili L. *Qui liberatus si de adoptivis*, ubi dicitur: *Qui liberatus est a patria potestate, honestè reverti non potest nisi adoptione:* ergo. 2. Si ideo Chris- tus non potest esse Filius Dei adoptivus, quia est Filius naturalis, sequeretur, quod, si Spiritus sanctus assumeret naturam huma- nam, posset esse Filius adoptivus (non enim foret Filius natura- lis) quod tamen non admittitur. R. N. Min. Ad 1. probat. di- co, quod jus istud civile Romanum non attendit in filiatione, nisi jus ad hæreditatem. Unde filius, qui excludebatur ab hære- ditate, non censebatur secundum hanc considerationem filius natu- ralis, sicque poterat adoptari saltem sensu improprio; melius enim diceretur restitui in jus, quod amiserat. At nihil tale in Christo accidere potest, qui sive quoad jus hæreditatis, sive quoad personam intraneam semper est Filius Dei naturalis, & proprius. Ad 2. probat. N. Sequelam. Licet enim quia Christus est Filius Dei naturalis, sit ratio sufficiens, cur non sit Filius Dei adoptivus, non est tamen ratio sola; altera enim est ratio, quod sit persona intranea Deo, & quod ab intrinseco habeat jus ad hæreditatem; quod utrumque reperitur in Spiritu S.

Inst. Christus quatenus filius Virginis potuisset adoptari ab alio homine: ergo & a Deo. R. N. Ant. Quia, si Christus ut filius Virginis consideretur ratione suppositi, habet titulo crea- tionis jus ad omnia, quæ homo possidet. Si in quantum homo consideretur, habet idem jus titulo Redemptionis; meritis enim amittere omnia usque ad annihilationem per peccatum. *Adoptivus autem, juxta Concilium Francoford. in libr. Sacro-sy- llabo, dicitur, cui nihil a Patre debetur.*

Obj. 4. Christus quatenus homo non est Filius Dei natura- lis: ergo potest esse adoptivus. Prob. Ant. 1. Ut Christus qua- tenus homo foret Filius Dei naturalis, filio- ti deberet uniri hu- manitati sub conceptu filiationis formaliter, atque id fieri non potest: aliàs, cum filio- ti sit formaliter relatio, constitueret hu- manitatem relatum: ergo. Prob. 2. Christus ut homo non potest dici Verbum, aut imago Patris: ergo nec filius ejus naturalis. 3. Si Pater assumeret humanitatem, non foret Pater quatenus ho- mo, non enim quatenus homo ullum filium generaret: ergo nec filius quatenus homo est filius naturalis. R. D. Ant. ex dic- tis in probat. Conclusionis: Christus quatenus homo non est Filius Dei naturalis, si ly *Quatenus* importet humanitatem in recto, C. Falsum est enim, quod humanitas in Verbo sit Filius Dei naturalis; si ly *Quatenus* importet suppositum in recto, id est, Verbum subsistens in natura humana, Subd. Non est Filius Dei naturalis, tò *Quatenus* sumpto reduplicative, C. ratio enim, cur Christus sit Filius naturalis Patris, non est, quia subsistit in natura humana: tò *Quatenus* sumpto specificative, N. Ex eo enim, quod subsistat in natura humana, non desinit esse Filius Dei. Unde verum est, quod subsistens in natura humana sit Fi- lius Dei naturalis. Hinc patet ad probationes. Ad 1. non requi- ritur, quod Verbum uniat humanitati formaliter sub concep- tu relationis, ut sensu nostro Christus quatenus homo sit Filius Dei

Dei naturalis; sed sufficit, quod non repognat ille esse Filium Dei naturalem ex eo, quod subsistat in natura humana. Quia imò dato, quod uniat humanitati formaliter sub conceptu re- lationis, ut voluit quidam, non ideo tamen constitueret illam relatum, quia est hujus relationis incapax: sicut eadem ratione non constituit naturam divinam relatum, etsi illi uniat sub conceptu relationis. Ad 2. R. eodem sensu Christum quæ homi- nem posse dici Verbum, & imaginem Patris, quo sensu dicitur Filius Dei naturalis: licet tamen specialiori modo dicatur Filius, quia filio- ti soli persone convenit. Ad 3. dico, quod in hac hypothesi, & hoc sensu prima persona quatenus homo foret Pater æterni Verbi, sicut modò Christus est ejus Filius natu- ralis.

Obj. 5. ab auctoritate quorundam Patrum. Hilarius l. 2. de Trin. ait: *Ita potestatis dignitas non admittitur, dum carnis hu- militas adoptatur.* Cyrillus Alex. Dialog. dicit, quod sit *adop- tatus nobiscum.* Aug. libr. de Prædest. Sanct. c. 15. quod gratia sit Filius Dei. Facundus Hesmerianensis, quod *adoptionem Filio- rum susceperit.* Irenæus l. 3. contra Hæres. c. 21. *Propter hoc Verbum Dei homo, & Filius Dei est, Filius hominis factus est, commixtus Verbo Dei, ut adoptionem percipiens fiat Filius Dei.* S. Ildephonsus, Eugenius, Julianus, Toletanus Sedis An- tistes, in Missa Cœnæ Domini, & in Missa de Ascensione, cense- runt Christum esse Filium Dei adoptivum, & ita censuisse tradu- cuntur in Concilio Francoford. ubi dicitur: *Melius est credere tes- timonio Dei Patris de Filio suo, quam Ildephonsi vestri. Etsi Ildel- phonsus vester in orationibus suis Christum adoptivum nominavit, nosse Gregorius Pontifex Romanus fidei in suis orationibus semper eum Unigenitum nominare non dubitavit.* Ergo. R. (Ibid. ad 1.) communi solutione, Patres citatos plerumque usurpasse vocem adoptionis in impropria locutione, scilicet pro assumptione hu- manitatis ad personam Filii. Ita S. Thom. interpretatur Hila- rium, licet Alcuimus, & Hincmarus in Præfatione libri de Præ- dest. contra Goteschalcum, legendum putent *adoratur pro adoptivo.* Ut ut sit, certum est, Hilarium non agnovisse Chris- tum Filium Dei adoptivum; dicit enim de Christo l. 3. de fide. *Hic & verus & proprius est Filius, origine, non adoptione.* Et libr. 6. *Donavit adoptionis nomen pluribus, sed iste mihi Filius.* Primam interpretationem patitur locus Cyrilli, qui aliud nō, ut omnibus notum est, duos Christos, & duos Filios contra Nes- torium impugnavit, maxime hom. Paschali 8. in Epist. ad Acci- um, l. 11. in Joann. & alibi ad Aug. (Ibid. ad 2.) dico nihil aliud velle, quam quod, sicut sine meritis quilibet sit Christia- nus, ita sine meritis habet iste homo quod sit Christus. Patet ex Textu. Ad Facundum dico, intelligentem esse eodem modo, ac Hilarium de locutione impropria. Ad S. Irenæum R. quod hæc verba *adoptionem percipiens* non referantur ad Christum, sed ad quemlibet fidelem, sic enim habet: *Propter hoc Verbum Dei homo, & qui Filius Dei, & Filius hominis factus est, commixtus Verbo Dei, ut adoptionem percipiens (scilicet homo qui- libet alius a Christo) fiat Filius Dei, non enim poteramus aliter incorruptelam, & immortaliatatem accipere, nisi adunatis suis semus incorruptelæ, & immortalitati. Idque magis patet ex versione Sir- munden, que sic locum hunc reddidit: *Propter enim Verbum Dei est homo, ut homo Verbum capiens, adoptionemque consequens, Fi- lius Dei efficiatur.* Ad S. Ildephonsum, & alios R. Quod, cum Ellipandus in confirmationem suæ hæresos eorum verba citaret,*

nec præsentibus haberentur codices, ut de veritate allegationis constaret; responsum est a Patribus magis deferendum esse SS. Aug. & Greg. & similibus, quam Ildephonso, Eugenio, & Ju- liano, si tamen vera essent, quæ adferbantur ab Ellipando. Hæc autem non esse vera maxime quoad Ildephonum, constat ex ejus libris adversus eos, qui disputabant de perpetua vir- ginitate Mariæ, ubi sic habet: *Non ergo illum, ut ceteros adop- tio Filius Dei fecit Filium, sed divinitatis naturam illum in proprium Dei Filium exaltavit.*

Petes 1. Utrum Christus, ut homo sit Filius naturalis totius Trinitatis? R. negativè. (Inf. q. 32. art. 3.) Prob. 1. auctorita- te Concilii Toletani II. in quo ex Aug. dicitur, hæc verba, *Hic est Filius meus dilectus*, esse de Patre æterno intelligenda, ad- ditque Concilium: *Neque enim Jesus etiam Spiritus sancti Filius, aut suus etiam Filius credi, aut intelligi potest.* Prob. 2. rati- one. Licet non omnis genitus sit Filius, ut dictum est, omnis tamen Filius est genitus: Generatio autem, maxime perfecta, & ad filiationem requisita, est origo viventis a vivente in similitudinem nature vi ipsius generationis; atque Christus sub quavis ratione non procedit a tota Trinitate in similitudine nature: ergo. Prob. Min. In Christo potest attendi, vel suppositum, vel natura huma- na, vel unitum, seu compositum ex utroque; atque quoad suppo- situm, seu personam fide certum est generari a solo Patre; quoad humanitatem etiam plusquam certum est, non procedere a tota Trinitate in similitudinem nature; neque etiam, ut patet, ut compo- situm, seu unitum: ergo. Unde hoc compositum *Christus* est quidem factum a tota Trinitate, non tamen genitum: Hinc D. Thom. loc. cit. ait: *Nullo modo debet dici Christus Filius Spiritus S. ne- que totius Trinitatis;* adde neque etiam sui ipsius.

Dices: Prolatio horum verborum: *Hic est Filius meus di- lectus, in quo mihi bene complacuit*, cum sit actio ad extra, com- petit toti Trinitati. Iti ita hanc vocem *complacuit* intellexit Ha- drianus I. Idem dic de traditione Filii in his verbis Rom. 8. *Qui etiam proprio Filio non perperciit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.* R. Concil. Toletanum, ut dictum est, cum Aug. & Hier- ron. propria verba Patri, ut soli loquenti adaptaret, & appropriare: licet non negemus hanc locutionem, quatenus est effectus ad extra, a tota Trinitate produci. Hadrianus autem solum vult, totam Trinitatem reipsa complacuisse in Filio; non negat tamen solum Patrem dixisse *complacuit*; nec usquam proba- ri potest ex illius verbis, totam Trinitatem esse Patrem Christi. Ad 2. auctoritatem, similiter fateor totam Trinitatem reipsa tra- didisse Christum, quia est actio ad extra; sed tamen de solo Patre hic dicitur, quod illum tradiderit, sicut solo respectu illius dicitur, quod sit Filius.

Petes 2. Utrum Christus, ut homo sit Filius naturalis B. M. Virginis? R. affirmativè, ita ut tamen filio- ti in Christo sit tantum relatio rationis. Prima pars patet; tunc quia dicitur sæpe in Scriptura, Christum esse Filium hominis, tunc quia B. Virgo est verè Mater Christi; tunc tandem quia Christus, ut ho- mo procedit a B. Virgine, ut a vivente in similitudinem nature, ejusque generatio terminatur ad suppositum Christi, supplens vires suppositi humani. Patet etiam 2. pars, quia suppositum Christi, quod est divinum, & solum subjectum capax filiationis, non est capax relationis realis ad creaturam: unde dicitur Filius B. Virginis eo sensu, quo Deus dicitur creator.

DISSERTATIO XXII.

DE PRÆDESTINATIONE CHRISTI.

D. Thom. Quest. 24.

ARTICULUS I.

Utrum Christus sit prædestinatus, & ad quid?

Dico I. (Hic 2. q. 24. art. 1. o.) Christus est prædestinatus. Prob. (Ibid.) Prædestinatio proprie accepta est Dei præor- dinatio ab æterno de his, quæ per gratiam facturus est in tem- pore: atque per gratiam unionis factum est in tempore, quod homo esset Deus, & Deus homo; & hoc est Christus: nec pos- test dici, quod Deus ab æterno non præordinaverit se facturum in tempore, quia sequeretur, quod divini menti aliquid de no- vo accideret: ergo.

Dices: Christus non dicitur simpliciter factus: ergo nec prædestinatus. R. N. Conseq. Disparitas est, quod prædestina- tio, cum significet actum animi interiorum, faciat subjectum accipi formaliter; Christus autem formaliter sumptus est subsis- tens in duabus naturis. At verò factum esse applicat suum signi- ficatum subjecto materialiter sumpto: Christus autem materia- liter sumptus est persona Christi. Porro verum est, Christum ut subsistentem in duabus naturis esse prædestinatum; at filium, personam Christi esse factam. Consule Solutionem Objec- tionis contra sequentem conclusionem.

ficatum subjecto materialiter sumpto: Christus autem materia- liter sumptus est persona Christi. Porro verum est, Christum ut subsistentem in duabus naturis esse prædestinatum; at filium, personam Christi esse factam. Consule Solutionem Objec- tionis contra sequentem conclusionem.

Dico 2. (Ibid. art. 2. o.) Christus, ut homo prædestinatus est primario, & principaliter ad filiationem Dei naturalem, secun- dario tantum ad visionem beatificam, ceteraque dona super- naturalia ipsi collata. Prob. 1. ex Apost. ad Rom. 1. *Qui factus est ei ex semine David secundum carnem, qui prædestinatus est Filius Dei virtute,* &c. In qua auctoritate, licet a Græcis, Chrisost. Theophylacto &c. intelligatur *prædestinatus*, prout idem est ac *declaratus* Filius Dei; Augustinus tamen libr. de prædest. SS. cap. 15. quem sequitur S. Thom. hic ad 3. conveni- entius intelligit, retenta usitato significatione Scripturæ, pro eo quod est destinare, definire, statuerè, ita ut sensus sit, *Qui (Filius) factus ex semine David secundum carnem, præ-*

destinatus est Filius Dei, sive ut sit Filius Dei verus, naturalis; in virtute, id est, in poenitentia, & majestate veri Filii Dei; secundum Spiritum sanctificationis ex resurrectione mortuorum Jesu-Christi Domini nostri, id est, ut haberet Spiritum sanctificantem nos, quod post Resurrectionem Christi ex mortuis maxime declaratum est: Unde Aug. loc. cit. Prædestinatus est Jesus, ut, qui futurus erat secundum carnem Filius David, esset in virtute Filius Dei.

Prob. 2. ratione. Christus ut homo prædestinatus est ad id, quod ipsi ut homini convenit in tempore ex gratia; atqui Christo ut homini convenit in tempore per gratiam unionis esse Filium Dei naturalem: ergo. Maj. patet ex notione prædestinationis, data supra. Min. etiam constat; licet enim personæ Christi, ut subsistens in natura divina naturale sit esse Filium Dei naturalem, non tamen est ei naturale secundum naturam humanam. Id magis elucidabitur ex Sol. Object. Prob. 2. pars conclusionis, scilicet quod primario prædestinatus sit ad filiationem Dei naturalem, & secundario tantum ad beatitudinem, &c. Ad id primario, & principaliter Christus, ut homo est prædestinatus, quod primò, & principaliter fuit intentum in decreto ejus prædestinationis, & ex illo in tempore subsequutum; atqui primum, & principale donum intentum, & collatum Christo est filiatio Dei naturalis: primum quidem, quia ex illo Beatitudo, & alia sequuntur, & ipsi debentur; principale, quia majus esse, & fieri Deum, quam frui Deo: ergo.

Obj. Subjectum prædestinationis, seu persona, quæ prædestinatur, non debet involvere essentialiter terminum ejusdem prædestinationis; atqui Christus, ut homo includit in suo formali conceptu filiationem Dei naturalem, quam dicimus terminum prædestinationis Christi: ergo. Patet. Maj. Quia terminus prædestinationis est id, ad quod tendit, & pervenit subjectum prædestinationis; nihil autem tendit, aut pervenit ad seipsum, sed ad aliquid posterius a se distinctum: & idè homo v. gr. non dicitur prædestinari ad animam rationalem, quam essentialiter involvit, sed ad gloriam, ad quam transmittitur. Min. etiam constat; quia Christus, ut homo importat essentialiter suppositum Filii naturalis Dei: Christus enim, ut homo est Verbum, seu secunda persona Trinitatis, quatenus distinguitur a prima, & tertia, ut subsistens in humanitate: ergo. Non levis est hæc difficultas, in cuius solutionem varios dicendi modos excogitarunt Auctores; quibus relictis, utpotè quia magis implicat, quam expediunt difficultatem, simpliciter D. Maj. Subjectum prædestinationis non debet essentialiter involvere terminum prædestinationis ejusdem secundum eandem rationem, secundum quam est subjectum, C. secundum diversam rationem, N. Similiter ad Min. Christus, ut homo includit in suo conceptu formali filiationem Dei naturalem secundum eam rationem, secundum quam est subjectum prædestinationis, N. secundum aliam rationem, C. Undè N. Conseq. Itaque Verbum, ut subsistens, seu ratione humanitatis est subjectum prædestinationis Christi, ita ut subjectum quod sit Christus, seu hic homo, subjectum quo ipsa humanitas: terminus autem qui Filius Dei naturalis, terminus quo filiatio Divina idèque subjectum quo, & terminus quo realiter distinguuntur, subjectum quod, & terminus qui formaliter, seu virtualiter distinguuntur; idèque Christus secundum diversam rationem est subjectum, & terminus prædestinationis, subjectum ratione humanitatis, terminus ratione filiationis Divinæ. Id autem sufficere, ut Christus quatenus homo dicitur prædestinatus Filius naturalis Dei, patet, tum a ratione, tum a paritate. A ratione quia prædestinatio, cum sit actus mentis, sicut præscindere potest ea, quæ sunt conjuncta, ita potest præcisè concipere hunc hominem, ut humanitate subsistentem, & ordinare, ut sit Filius Dei. Ex qua ratione infert S. Doctor hic art. 1. ad 3. quod, licet possit dici, quod Christus, ut homo sit prædestinatus Filius Dei, non potest tamen dici, quod Christus, ut homo factus sit Filius Dei, quia nempe esse factum convenit personæ, non secundum præcisionem mentis ut prædestinari, sed secundum quod est a parte rei; persona autem Christi (quam importat ly Christus) ut sic a parte rei, non est facta Filius Dei in tempore, sed sic erat ab æterno. A paritate; sicut enim inter Christum ut hominem, & ipsum ut Deum invenitur sufficiens distinctio ad rationem satisfaciens, & creditoris, merentis, & præmiantis; quidni sufficeret formalis, seu virtualis distinctio inter Christum ut hominem, & ipsum ut Filium Dei naturalem, ut quatenus homo sit subjectum, quod prædestinatur ad esse Filium Dei naturalem ut ad terminum qui: maxime cum intercedat realis distinctio inter subjectum quo, quod est humanitas, & terminum quo, qui est filiatio.

Inferes: ergo melius diceretur, humanitatem esse prædestinatam ad filiationem Dei. R. N. (Ibid. art. 1. ad 2.) Illationem, quia secundum hoc locutio Apostoli esset impropria propter duo: 1. quidem ratione communi. Non enim dicimus naturam alicujus prædestinari, sed ipsum suppositum: quia prædestinari est dirigi in salutem, quod quidem est suppositi agentis prop-

ter beatitudinis finem. Ratione speciali; quia esse Filium Dei non convenit naturæ humanæ: est enim hæc falsa, humana natura est Filius Dei.

Inferes iterum: ergo saltem poterit dici, quod Christus, ut subsistens in natura Divina sit prædestinatus: ut sit Filius hominis, sicut dicitur, quod ut subsistens in natura humana sit prædestinatus, ut sit Filius Dei. R. N. Paritatem; (Ibid. art. 2. ad 3.) quia gratia non est facta Filio Dei ut esset homo, sed potius humanæ naturæ, ut Filio Dei uniretur. Undè magis proprie potest dici, quod Christus, secundum quod homo, est prædestinatus esse Filius Dei, quam quod Christus, secundum quod est Filius Dei, sit prædestinatus esse homo.

Inst. contra 1. & principalem solutionem. Christus ut homo ita in conceptu suo formali importat filiationem Dei, ut ab illa non possit præscindi: ergo Christus ut homo non potest esse subjectum prædestinationis ad filiationem Dei. Prob. Ant. Christus, ut homo subsistit subsistentia Verbi, prout distinguitur a subsistentia Patris, & Spiritus S.; aliis Pater, & Spiritus S. dicerentur incarnati; atqui subsistentia Verbi distinguitur ab aliis subsistentiis ex conceptu relationis, per quam constituitur formaliter Filius: ergo. R. N. Ant. Ad Probat. D. Min. Subsistentia Verbi ab aliis subsistentiis Divinis distinguitur ex conceptu relationis implicitè importatæ, C. explicitè importatæ, Subdistinguo: inadæquatè, C. adæquatè, N. Itaque subsistentia Verbi prout distincta ab aliis, triplici munere gaudet: 1. Verbum genitum constituit sub munere passivæ generationis: 2. personam sub munere formæ hypostatice: 3. Filium sub munere relationis. Ut duo prima munia exercens distinguitur ab aliis subsistentiis Divinis, equidem ratione relationis, non tamen ut formaliter, & explicitè importatæ, sed implicitè tantum, quatenus sub illis prioribus muneribus hoc tertium exigit, & involvit: sic igitur in ordine ad Christum hominem, subsistentia Verbi 1. constituit eum in ratione personæ sub munere formæ hypostatice; 2. humanitatem unit cum Divina natura, prout existit in Verbo per æternam generationem; 3. unit cum eadem naturam Divinam, prout existit in Verbo, ut relatio relatione filiationis. Undè Christus ut homo constituitur per filiationem sub munere subsistentiæ, quo, ut dictum est, sufficienter distinguitur a cæteris subsistentiis Divinis, est subjectum prædestinationis ad filiationem sub munere relationis.

Dices: Concilium Tollet. II. in professione fidei habet, Christum nec factum, nec prædestinatum esse: ergo. R. Concilium loqui de Christo ut Deo: undè statim subdit: Per hoc tamen quod de Maria Virgine natus est, & natus, & factus, & prædestinatus esse credendum est.

ARTICULUS II.

An, & quomodo Prædestinatio Christi sit causa nostra prædestinationis?

Quesitio hæc non procedit (Ibid. art. 3. & 4. o.) de prædestinatione nostra, prout est actus Dei; nullus enim ita insanus est, ut existimet actum Divinum causari ab alio, cum unico actu simplicissimo a se indistincto Christum in nos prædestinaverit; sed de prædestinatione ex parte objecti, seu termini.

Dico: (Ibid.) Prædestinatio Christi est causa exemplaris, finalis, & efficiens moralis, seu meritoria Prædestinationis nostræ. Est expressè D. Thom. art. 3. quoad 1. partem: implicitè quoad secundam & tertiam art. 4. Prob. 1. Pars. (Ibid. art. 3. o.) Prædestinatio nostra potest considerari, vel secundum bonum, ad quod prædestinamur, vel secundum modum consequendi istud bonum; atqui utroque modo prædestinatio Christi est exemplar prædestinationis nostræ: ergo. Prob. Min. Quoad 1. Christus prædestinatus est ad filiationem Dei naturalem, nos ad filiationem adoptivam, quæ est quædam participata similitudo filiationis naturalis, juxta illud Rom. 8. Quos præscivit... & prædestinavit conformes fieri Imaginis Filii sui. Quoad 2. natura humana in Christo nullis præcedentibus meritis unita et Filio Dei, ita & nos nullis præcedentibus meritis nostris accipimus de plenitudine gratiæ Christi. Hinc August. de prædest. SS. c. 25. Est præclarissimum lumen prædestinationis, & gratiæ Christus Jesus. Observandum tamen, prædestinationem Christi esse nostræ exemplar heterogeneum, & diversæ rationis, tum ratione termini, qui excedit terminum nostræ, tum ratione modi; prædestinationem enim Christi nulla præcesserunt merita de condigno; nostram præcesserunt merita Christi, etsi non nostra, ut dicimus modo.

Prob. 2. Pars. Esto Deus prius voluerit voluntate antecedente salutem omnium, & in hunc finem Christum prædestinaverit, posterius tamen voluit voluntate consequenti quorundam electionem efficacem, quæ est prædestinatio, propter gloriam Christi; patet ex dictis de motivo Incarnationis: aliunde, ut modo dicebamus, Christus est exemplar nostræ prædestinatio-

tionis; itè, ut alibi diximus, caput nostrum. Porro non archetypus ad apographum, nec caput ad membra, sed e contra apographum ad archetypum, membra ad caput, seu ad finem ordinantur. Hinc illud Apostoli 1. Cor. 3. Omnia enim vestra sunt... vos autem Christi, Christus autem Dei. Et Trid. sess. 6. c. 7. definit, causam finalem justificationis nostræ esse gloriam Dei, & Christi. Eadem autem est ratio de prædestinatione.

Prob. 3. Pars. Christus meruit omnes effectus prædestinationis nostræ, ut probavimus supra, dum de merito Christi art. 3. ergo & ipsam prædestinationem nostram, ut est actus divinæ voluntatis, non equidem entitative sumptus, sic enim est ipsemet Deus, sed sumptus secundum liberam terminationem activè consideratam. Conseq. patet ex differentia, quæ est inter causam physicam, & moralem, quod illa immediatè in effectum exerceat suam causalitatem, ista verò non immediatè circa effectum, sed circa affectum efficientis, ipsum alliciendo, & inclinando in effectum. Confirm. Merita Christi fuerunt prævisa, & prædestinata a Deo, antequam homines prædestinaret, ut diximus, dum de motivo Incarnationis: ergo congruum erat dignitati, & officio Redemptoris, ut moverent Deum ad prædestinandos homines. Hinc Apost. ad Ephes. 1. Benedicti nos in omni benedictione spirituali in caelestibus in Christo, id est, per Christum, seu per merita Christi, secundum omnes Interpretes; potissima autem hominis benedictio est ejus prædestinatio. Prosequitur Apost. Sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus Sancti. Qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum. Hanc autem partem intellige etiam de prædestinatione comparativa, quatenus est acceptatio, seu electio, non aliquorum tantum vagè, sed istorum in particulari præ aliis. Id ipsum probat ratio facta; & declarat ipse Christus alloquens discipulis his verbis Joann. 15. Non vos me elegistis: sed ego elegi vos: quæ verba Aug. de prædest. SS. c. 19. & de corrupt. & grat. c. 7. intelligit de electione, non solum ad gratiam Apostolatûs, sed etiam ad gloriam, & regnum æternum, dignis ultimo loco citato: Illos ergo elegit ad obtinendum regnum suum. Similiter S. Thom. ad Ephes. 1. lect. 1. Et ibi agitur de prædestinatione comparativa aliquorum determinatè, scilicet Apostolorum, seu Discipulorum præ aliis.

Dices 1. Prædestinatio nostra est ita gratuita, & ex mero

Dei beneplacito pendens, ut Apostolus ad eam gratuitatem efficacius explicandam utatur exemplo luti in manu figuli, illud vel in vas honoris, vel in vas contumeliæ pro beneplacito efformantis; Augustinusque de Prædest. SS. c. 15. dicat, ita esse gratuitam, sicut ipsam prædestinationem Christi, quam nulla merita præcesserunt: ergo. R. Prædestinationem nostram in Scriptura, & Patribus dici gratuitam respectivè ad nos, non respectivè ad Christum. Nec id obstat, quin semper fuerit gratuita, & pendens ex beneplacito Dei; non enim Christus hos, aut illos elegit, seu petiit, & meruit eligendos, nisi dirigente, & movente voluntate Patris: proindeque semper stat totum negotium salutis primordialiter reduci in divinæ voluntatis beneplacitum gratuitum. Et ratione hujus primordialis voluntatis moventis, & dirigentis Christum in electione Prædestinatorum dicit Christus Patri de Prædestinatis Joann. 17. Tui erant, addit: Et mihi eos dedisti, movendo scilicet voluntatem meam ad hos, meritorum oblatione, præ aliis eligendos. Vel eos dedisti mihi in tempore, quos elegeras ab æterno intuitu meritorum meorum.

Dices 2. Merita Christi sunt effectus prædestinationis nostræ: ergo non causa meritoria; ut enim alibi dictum est, principium meriti non cadit sub merito. Prob. Ant. Merita Christi sunt media efficaciter conducentia al salutem, & prædestinationem nostram: ergo sunt ejus effectus. Prob. Conseq. Volitio mediè efficaciter conducentis ad finem est effectus volitionis finis, & ab illa imperatur: ergo. R. N. Ant. ad Prob. N. Ant. Ad rationem enim medi non sufficit, quod efficaciter conducat ad finem; alius Dens, qui est primus motor, omnia attingens a fine usque ad finem, foret medium, quod est absurdum, sed requiritur, quod supponat amorem finis, & ex illius intentione imperetur. Merita autem Christi prædestinata sunt, si non antè voluntatem antecedentem salvandi omnes homines, saltem antè voluntatem consequentem salvandi efficaciter aliquos, quæ voluntas consequens est prædestinatio, & prædestinatorum electio. Idèque, licet merita Christi possint dici media salutis volitæ per voluntatem antecedentem, non tamen volitæ per voluntatem consequentem; ut sic enim ipsa salus, seu prædestinatio nostra est medium ad gloriam Christi prius prædestinati ordinatum, ut diximus, dum de motivo Incarnationis.




TRACTATUS DE MYSTERIIS CHRISTI.

D. Thom. 3. Part. a Quæst. 27. ad 60.

Discussis in Tract. de Incarnatione, quæ spectant unionem Dei, & hominis, & quæ ad illam consequuntur, gratum fore existimavi Lectori pio, ac curioso, si speciali Tractatu expellendum cum Angelico Doctore, (Q. 27. Proæm.) quæ Filius Dei incarnatus in natura humana sibi unita gessit, vel passus est, etiamsi ista Scholarem disputationibus subici non soleant.

Expandemus itaque 1. ea, quæ pertinent ad ingressum ejus in mundum. 2. ea, quæ pertinent ad progressum vite ipsius in hoc mundo. 3. exitum ejus ex hoc mundo. 4. ea, quæ pertinent ad exaltationem ipsius post hanc vitam. Et quia beatissima ejus Mater pertinet ad ingressum ipsius in mundum, idèo sit



DISSERTATIO I.

DE BEATISSIMA VIRGINE MARIA MATRE CHRISTI.

D. Thom. QQ. 27. 28. 29. 30.

ARTICULUS I.

De Sanctificatione B. M. Virginis. D. Thom. Q. 27.

Quatuor in hoc articulo queruntur. I. utrum B. Virgo Mater Dei fuerit sanctificata in utero. II. utrum per hanc sanctificationem fomes fuerit in ea totaliter sublatus? Dicitur fomes appetitus sensitivus, non secundum se, sed ut habitualiter inclinatus ad actus contrarios rationi. III. utrum B. V. nunquam peccaverit, etiam venialiter? IV. utrum habuerit plenitudinem gratiæ?

gratiæ, & veritatis, præ cæteris omnibus majora privilegia gratiæ sanctificationis acceperit. Undè Angelus Luc. 1. ei dixit: Ave gratia plena. Atqui invenimus, quibusdam aliis hoc privilegium fuisse concessum, ut in utero sanctificarentur, sicut Jeremias, cui dictum est Jerem. 1. Antequam exires de vulva, sanctificavi te. Et Joann. Bapt. de quo dictum est Luc. 1. Spiritu S. replebitur adhuc ex utero matris sue: ergo.

Dico 2. (Ibid. art. 3. o.) Per hanc primam sanctificationem fomes non fuit totaliter sublatus in B. Virgine, sed per secundam tantum in conceptione Christi. 1. Quia SS. PP. S. Leo serm. 2. de Nativ. S. Joann. Dimasc. l. 4. orthodox. fid. c. 15. S. Bernard. serm. 3. de Purif. & Hom. 3. super Missus, dicunt, B. Virginem ex conceptione Christi fuisse purgatam, & purissimam factam. Remanebat ergo tunc in ea aliquid purgandum; non peccatum: ergo infectio fomitis. 2. (Ibid.) Quia, sicut antè immortalitatem carnis Christi resurgens nullus adeptus fuit carnis immortalitatem; inconveniens esse videtur dicere, quod antè Christi carnem, in qua nullum fuit peccatum, caro Vir-